



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tízszor egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Ioannes Bacsányi.

Quis reminiscitur iam poëtae illius olim
praeclari, qui ab anno 1845 in longinqua
urbis Lentiae¹ terra quievit, ubi exsul
miserrimus multis aerumnis exhaustis²
vita defunctus est?

Pauci. Quamquam,
qui omnes temporis
sui poëtas uberrima
artis poëticae vena
ingenioque exulto
supereminuit, om-
nium Hugarorum
memoria gratoque
animo dignus est.

Ignobili rustico-
rum genere anno
1763 in urbe Tapolca
Transdanubiana na-
tus doloribus, quos
agricolae immeriti
pati debebant, iam
in pueritia cognitis,
ut in carminibus
quereretur de his,
admotus est. Iuvenis
scripsit carmen illud



aliquando saepe laudatum saepiusque ob-
iurgatum,³ quo res novas Lutetiae Parisio-
rum actas fervidissimo animo salutatur
nobilibusque Hungaris similia minatur

facinora. Nunc quo-
que non possumus
non admirari vim
linguae huius carmi-
nis, quod «Ad muta-
tas Gallicas res»⁴
inscribitur, sed in
eodem etiam animus
impatiens pronus-
que ad immodica⁵
apparet. Posterius
vita patria melius
cognita amicitiaque
cum nonnullis eius
aetatis viris optimis,
inter illos cum Ale-
xandro Kisfaludy et
Laurentio Orczy
coniuncta odium no-

¹ Linz ² kiáll, végig-
szenved ³ kárhoztat ⁴ a
franciaországi változá-
sokra ⁵ szertelenség.

bilium in animo eius deleniebatur⁶ et in maximum et patriae et humanitatis amorem mutabatur. Sed odio deposito vires et animi et linguae retinuit.

Harmoniam animi adeptus facultateque poëtica crescente pulcherrima scripsit carmina, quorum fortasse, quae «Epistola ex arce antiqua»,⁷ «Magister et discipulus»⁸ inscribuntur, maximi sunt pretii. In quibus meditatur de fuga temporum, adhortatur Hungaros, ne tempus dimittant, sed operam dent in altius erigendae et patriae et toti orbi terrarum. Caritatem patriae pulcherrimae coniungit sensui humano rectissime dicens sine humanitate non esse meritum, neque sine patria genus humanum.

Sortem poëtae carminibus scribendis penitus dediti repentina mutavit clades. Ille quoque, quod particeps coniurationis Ignatii Martinovics esset, accusatus carceris damnatus est. Ibi carminibus tristem leniebat animum, quorum «Dolores»,⁹ «Captivus et avis»¹⁰ nunc quoque maxima cum delectatione legi possunt. Mox libertate recepta Vindobonae parvum adeptus est magistratum, ibique in tam magna excoltaque civitate se ad maiora vitae opera praeparare studebat. Sed, cum Napoleon Vindobonam occupasset, proclamationis parandae, qua ille Hungaros, ut desisterent a Habsburgis, permovere conabatur, Bacsányi quoque aliquo modo adiutor erat, ideo imperatore Gallorum mox devicto poëta in urbem Lentiam in exsilium aeternum missus est.

Quamquam is postea multos annos vixit, vita poëtica eius penitus fracta est. Procul a patria, disiunctus ab amicis vitaeque Hungarica in aeternum relicuit. Haec est tragoedia eius!

Urbs Tapolca nunc post tot elapsos annos ossa eius in patriam ferenda et in terra natali sollemniter sepelienda curavit. Poëta multa passus denique in patriam rediit, sed redeat etiam in corda

nostra. Legamus opera eius, quae etiamsi pauca, sed maximi sunt pretii. (S.)

⁶ enyhül ⁷ levél egy régi várból ⁸ a mester és a tanítvány ⁹ gyötrődés ¹⁰ a rab és a madár.



LECTORIBUS MINIMIS.

Rex in thermis¹ versatus.²

Fabulam Bechsteinianam. Latine vertit G. Kaul dr.

Erat aliquando rex, cuius imperio multae terrae gentium Germanarum et Romanarum subiectae erant; quare coepit superbire toto orbe dominum potentem non esse praeter se ipsum existimans. Factum est autem, ut, cum tempore vespertino in ecclesiam³ intrasset, sacerdotem haec verba legere audiret: «Deposuit potentes de sede et exaltavit⁴ humiles». Tum, quod linguae Latinae imperitus erat, e viris doctis, qui eum comitabantur quaesivit, quid sibi vellent illa verba. Qui interpretati sunt Deum dominum insignes⁵ attenuare,⁶ promere⁷ obscuros.⁸ Rex hoc proverbio perterritus et ira incensus edixit, ne illud Lucae evangelistae⁹ amplius legeretur neve a quoquam audiretur et ut funditus¹⁰ deleretur in scripturis sacris. Quod edictum emissarii regis in cunctas terras et ad omnes sacerdotes et in cuncta monasteria tulerunt. Eos autem libros, in quibus iste locus integer maneret, esse comburendos. Ergo illa verba multifariam¹¹ sunt deleta atque extincta, neque iam in ecclesiis publice vel legebantur vel caneantur.

At factum est tempore quodam, ut rex in thermas iret; tum Deus, ut ille poenas daret pro eo, quod peccaverat in sacro evangelii verbo, angelum misit. Quispecieregis indutus oculos omnium ita occaecavit, ut eum esse regem putarent, regem autem ipsum non cognoscerent. Rex e thermis egressus in scamno¹² consedit, in quo angelus iam sede-

¹ fürdő ² valahol van, jár stb. ³ templom ⁴ felmagasztal ⁵ jeles, előkelő, hatalmas ⁶ megaláz ⁷ világosságra hoz, felemel ⁸ alacsony sorsú ⁹ Luc. I, 52 ¹⁰ egészen, teljesen ¹¹ sok helyt ¹² pad.

bat. Tum balineator¹³ eum surgere et alibi considerare iussit. At rex: «Ebriusne es, balineator», inquit, «cum tam turpiter me alloquaris? Ego sum rex, dominus tuus!» — «Haud scio, an fatuus¹⁴ sis!» inquit balineator. «Nonne rex, dominus meus, hic sedet? Cuius tandem rex es? Et ubi est regnum maiestatis tuae? An Narragonia?»¹⁵

«Furcifer!»¹⁶ exclamavit rex et dolium¹⁷ quoddam comprehensum in caput balineatoris coniecit. Tum clamore exaudito servi balineatoris accurrerunt et rex vapulavit,¹⁸ donec ab angelo intercedente¹⁹ e manibus servorum liberatus est. Sed deinde ille desertus est ab angelo, quem balneis egressum servi regis, qui angelum esse dominum suum putarent, veste pretiosa ornaverunt et equis insignibus atque cum apparatu regio in aulam comitati sunt. At rex a balineatore atque eius sociis nudus domo eiectus ante portam stetit et, quid sibi factum esset, ignoravit. Et plebs eum circumstetit et iulusit, etiam ipsius servitia;²⁰ neque enim quisquam illum noverat. Et ille, ut erat nudus, summa cum ignominia ab hominibus ad domum pincernae²¹ et consilarii fidelissimi aufugit.

Erat tempus meridiationis,²² cum rex ostium pulsavit introiturus. Cum ostiarius quaesivisset, quis esset et quid vellet, ille: «Ego», inquit, «rex sum!» «Ohe», inquit ostiarius, «tam turpem regem nondum vidi. Tu quidem minime introibis!» Tum rex tanta voce clamavit, ut pincerna eum audiret et interrogaret, quid esset. Ostiarius: «Domine, inquit, «homo foris est nudus ac sordidus, qui autumat se²³ esse dominum tuum atque regem et plebs eum sequitur et istum simium²⁴ ludibrio habet».²⁵

«Fac admittas eum», inquit pincerna misericordiam commotus, «et date illi vilem²⁶ vestem!» Quo facto rex intravit ad pincernam, qui eum non magis cognoscere poterat ceteris et «Amice», inquit, «tu quidem debes cognoscere me regem tuum esse, quamvis hodie miro quodam fato vexatus et honore ac regno privatus sim. Sed memento illud colloquium, quod heri mane inter nos familiariter habuimus! Nonne tunc vos aliquid iusseram, quod vos rege dignum non esse existimabatis?» Talia rex pincernae etiam

plura dixit. At ille ridere coepit et: «Vera quidem», inquit, «dicis, sed puto diabolium tibi haec insusurrasse!»²⁷

Pincerna homini cibos apponi iussit et secum cogitavit: «Hanc rem tam miram regi nuntiabo». Nam pincerna, cum in aula propter optima consilia tantum valeret, ut semper liberum aditum haberet, statim in regiam meavit,²⁸ coram angelo constitit, fabulam miri hospitis nuntiavit. Qui regem in aulam adduci iussit praesentibus cunctis praefectis et ministris aulicis.

Tunc pincernam regem humiliatum²⁹ afferebat angelus magnifico apparatu iuxta reginam pulcherrimam in solio³⁰ sedens salutavit regem, cuius animus odio flagravit, cum vidisset inimicum, quem credebat, apud suam ipsius uxorem sedere. Et angelus: «Dic age», inquit, «verumne est te hic esse regem?» Et ille: «Recte vero equidem vidi diem, quo uxor mea me accipiebat tamquam regem ac dominum suum!»

Quibus verbis regina pudore erubescens angelo: «Domine rex et marite», inquit, «haud scio, an insaniat iste homo!» Neque multum a fuit, quin comites eum comprehenderent et asperrime tractarent, nisi angelus illos prohibuisset et regem secum in cubiculum secretum abduxisset.

Ibi eum sic allocutus est: «Dic age, utrum credas an non credas Deum in sua potestate tenere omnes creaturas? Ecce, quomodo omnipotentiam eius in pulverem redigaris!»³¹ Quis tandem obtemperat³² verbo et imperio tuo? Vivit illud verum: «Deposuit potentes de sede et tu ac tui similes illud in aeternum non exstirpabitis!»³³ Cur igitur persequeris veritatem? Credendum est tibi in verbum scripturae ore sacerdotum tibi nuntiatum! Quod si volueris, iterum accipito sedem potentiae tuae et honoris tui!»

Tum rex iterum humiliatus est coram angelo domini et se obsecuturum pollicitus est. Angelus ei dextram dedit et vestimenta regia et speciem regiam restituit. Deinde

¹³ fürdőmester ¹⁴ eszelős, bolond ¹⁵ = terra fatuorum
¹⁶ akasztófára való ¹⁷ dézsa ¹⁸ verést kap ¹⁹ közbenjárására ²⁰ cselédsége ²¹ főpohárnok ²² déli pihenő
²³ azt hiszi magáról ²⁴ majom ²⁵ gúnyt üz belőle
²⁶ ócska ²⁷ megsűg ²⁸ megy ²⁹ megalázott ³⁰ trón
³¹ porba sujt ³² engedelmeskedik ³³ kiírt.

sub oculis regis evanuit in caelum rediturus. At regem, tamquam nihil mali passum, e cubiculo egredientem ministri aulici summa verecundia interrogaverunt «Domine, ubinam iste fatuus remansit?» Ille autem reginā et omnibus suis convocatis cuncta, quae facta essent, enarravit monstrata veste vili, quam pincerna dedisset. Perterritis comitibus, qui eum ignorassent et aspere tractassent, et reginae veniam petenti: «Deus», inquit, «hoc voluit. Ipse denique me non iam noveram!»

Deinde illud ‚Deposuit‘ in cunctis libris, ubi exstinctum erat, rursus inscribi et rursus in cunctis ecclesiis legi iussit et princeps modestissimus factus est. Et quicumque hanc fabulam legerit, is humiliato cor suum coram Deo et orato, ut ille se a superbia et vanitate clementer servet!



De divinis testimoniis.¹

Vestigia divini testimonii apud multas gentes temporibus antiquissimis inveniuntur eoque praecipue Germanos usitatos reperimus. Adiumentum² erat extremum in iure Germanorum antiquo, quo reus se innocentem esse demonstrare potuit. Fons divini testimonii consuetudo erat pagana.

Saeculo octavo, paulo ante interitum regni Visigothorum iam legibus de divinis testimoniis sancitur, quas deinde susceperunt Francogalli, ignari, unde earum usus ortus esset primitus.³ Auctoritatem legum praesertim Carolingi augebant. Usus testimoniorum divinorum brevi per Francogallos ad omnes gentes Europaeas perlatas etiam in nostra civitate inveteravit.⁴

Testimonia divina varii erant generis, et quidem: duellum, sortitio,⁵ probatio ignis et aquae,⁶ probatio crucis,⁷ purgatio per communionem⁸ atque iudicium feretri.⁹ Duellum ex more singulare erat certamen liberorum. Antiquissimum genus divini testimonii sortitio erat. Probatio ignis et aquae ferventis variis modis fiebat. Frequens erat usus ferri candentis¹⁰ et aquae ferventis.¹¹

Testimonia divina ecclesia aegerrime ferebat et invita¹² modo tolerabat. In ecclesia Francogallorum ab initio saeculi noni etiam orationes et ritus iis adiuncta sunt.¹³

Sed non defuerunt, qui omni ope his mori-

bus obniterentur.¹⁴ Iam Luitprand rex Langobardus rationem auctoritatemque divini testimonii oppugnavit et imprimis certaminis ineundi rationem iniustam esse declaravit. Divina testimonia non solum conciliis, sed etiam a pontificibus¹⁵ Romanis condemnabantur.¹⁶ Nicolao V. auctore: «Tantum de iis delictis, quae testimoniis¹⁷ liberis et testibus sunt testata,¹⁸ possumus iudicare. Delictum enim abditum haud notumque est solum illi permissum, qui solus corda hominum cognita habet». ¹⁹

Testimoniis divinis nostri quoque utebantur maiores maximeque ex iis probatione ferri candentis. Reum ferrum igne candens manu gerere aliquotque passus facere oportebat. Inde ducunt originem locutiones:²⁰ «kiállotta a tűzpróbát, megégette a kezét». Quorum probationum memoria servata est libro, qui «Regestrum Varadiense» inscribitur editusque est anno 1550 Colosvarii sub titulo: «Ritus explorandae veritatis, quo Hungarica natio in dirimendis²¹ controversiis²² ante annos trecentos et quadraginta usa est et eius testimonia plurima in sacrario summi templi Varadiensis reperta». Quibus commentariis probationis ferri candentis etiam ritus²³ et caerimoniae²³ continentur.

Probatio incipit benedictione²⁴ sacerdotis super novum ferrum ad manifestandum verum iudicium praeparatum. Post orationes aspergitur ferrum aqua benedicta²⁵ et sacerdos dicit: «Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super hoc ferrum ad discernendum iudicium Dei. Amen». Sequitur benedictio loci, ubi ignis accendatur, dein benedictio ignis: «Domine Sancte Pater, omnipotens aeternae Deus, benedic hunc ignem, quem in nomine Filii tui, domini nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti benedicimus et sanctificamus». Quae sequitur Missa iudicii ferri candentis. Sacerdos etiam criminatum²⁶ communicat.²⁷ Peracta Missa sacerdos cum populo ad locum probationi destinatum it. Imprimis dicuntur septem psalmi poenitentiales²⁸ cum litania, deinde orationes ad ferrum. Tum interroga-

¹ istenítélet ² bizonyító eszköz ³ eredetileg ⁴ meggyökerezik ⁵ sorshúzás ⁶ tűz- és vízpróba ⁷ keresztpróba ⁸ tisztító eskü áldozással ⁹ tetemrehívás ¹⁰ tüzes vas ¹¹ forró víz ¹² kelleetlenül ¹³ hozzáad ¹⁴ ellene küzd ¹⁵ pápák ¹⁶ kárhoztat ¹⁷ bizonyíték ¹⁸ tanúsított, bizonyított ¹⁹ ismeri ²⁰ szólás ²¹ megszüntet ²² perlekedés, viszály ²³ szertartás ²⁴ áldás ²⁵ szentelt víz ²⁶ vádlott ²⁷ megáldoztat ²⁸ bűnbánati zsoltárok.

tur reus a sacerdote his verbis: «Frater, es iustus ab hoc crimine, de quo accusaris?» Ille respondet: «Iustus sum». Denique accusatus accipit ferrum ignitum portatque dicens: «Per illud corpus domini nostri Jesu Christi, quod hodie sumpsi, non confidens in ullum maleficium nec in virtutibus²⁹ herbarum accipio hoc ferrum».

In libro, qui Dialogus miraculorum inscribitur, Caesarius Haisterbacensis haec narrat: «Rusticus quidam contra alium habens inimicitias, cuidam maligno homini, de ordine viatorum quales multi sunt, pecuniam dedit, ut domum illius incenderet. Quam sub specie³⁰ religionis intravit et tempore convenienti succendit. Immemor miserimus hospitalitatis, postquam fuit reaedificata, accepto pretio renovavit incendium. Turbatus homo de damno repetito, omnes, de quibus suspicionem habuit, accusavit; qui per ferrum candens se expurgaverunt. Denuo domus incensa reaedificata est, et ferrum idem et in angulum eius proiectum. Quid plura? Venit rursus pseudoviator ille, antiqua corruptus avaritia. Humane satis susceptus, cum ferrum iam dictum vidisset, et quis eius usus esset interrogasset, respondit ille: nescio quis domum hanc en, altera vice succendit; et cum de quibusdam habuisset suspicionem, candens illud portaverunt, sed non sunt exusti. Tunc ille: ad aliquos usus posset converti. Quod cum nutu Dei levasset, sic in manu adustus est, ut cum clamore illud iactaret. Quod ubi paterfamilias vidit, incendiarium³¹ per vestem tenens exclamavit: vere tu es reus. Mox ad iudicem ductus, culpam vellet nollet confessus est, sicque poena rotali³² damnatus».

Ludovicus Ngers.

²⁹ gyógyító erő ³⁰ ürügy ³¹ gyújtogató ³² kerékbe-törés.

Alexander Csoma de Kőrös.

Hoc anno postridie Idus Apriles centies quinquagies circumagebatur dies, quo Alexander Csoma de Kőrös in pago Kőrös comitatus Háromszék natus est. Is pauperimus ortus parentibus cum maxima egestate et inopia in gymnasio Nagyenyedensi studia litterarum absolvit ibidemque postea munus docendi obiit. Illis cum temporibus etiam

Hungari ex diuturno torpore¹ in sui ipsius sensum evaluissent² gloriaque rerum praeclare gestarum dudum sopita³ iterum re-cruidisset,⁴ Alexander Csoma admodum adulescens acerrimo patriae amore imbutus professus est se non quieturum, donec sedem et originem Hungarorum explorasset. Peropportune itaque evenit, ut Gottingam e gymnasii collegio mitteretur, ut in universitate studia litterarum persequeretur. Hic orientalibus imprimis Arabicae et Sinensi linguis et litteris operam navabat Hungarorum originem inde eruturus.⁵ Gottinga redux in patriam tandem sese ad peragationem⁶ laborum et aerumnarum plenissimam accinxit. A. 1819 Nagyenyedino profectus per Bulgariam itinere facto navi in Aegyptum invecus est. Aegypto relicta per Palaestinam maxima parte itineris laboriosissimi pedibus confecta Mesopotamiam versus tendit, ubi Tigri secundo⁷ ad urbem Bagdad defertur. Inde equo vectus in Persiam venit, ubi cum in urbe Teheran forte in publico ambulanti voces Tibetanorum hominum, quae Hungarici quiddam sonare⁸ viderentur, ad aures Alexandri Csoma acciderent,⁹ in Tibetanis finibus originem linguae Hungaricae inventurum opinatus retineri iam non potuit, quin quam primum eo se conferret. Bochara profectus tandem per solitudinem Gobianam in exoptatam terram Tibetanam advenit, cumque ibi Tibetanam linguam penitus edidicisset, per angustias montis Hymalaeae in Indiam evasit. Ex India in Tibetum tribus factis itineribus ingentibusque exantlatis¹⁰ laboribus lexicon Tibeticum confecit. A. 1842 Lassam, sedem sacerdotum Tibetanorum petiturus febris palustri correptus in oppido Darjiling a. d. III. Idus Apriles vita aerumnosa perfunctus est. Cineres et ossa eius ibi ab Anglis inlata sunt tumulo, ex quo cippus¹¹ eminet Anglice inscriptus.

Alexander Csoma etiamsi id, quod flagrantissime cuperet, sedem et originem

¹ aléltóság ² magához tér, öntudatra jut ³ alvó, lappangó ⁴ új erőre kap ⁵ kutat ⁶ keresztülutazás, bejárás ⁷ a Tigris folyásának irányában (lefelé) ⁸ magyarul hangzik ⁹ fülét megüti ¹⁰ elszenved ¹¹ sírkő.

Hungarorum reperire nequiret, tamen cum condito Tibetico lexico exploratisque litteris Tibetanis apud Anglos aliasque nationes Hungaris sempiternam peperit gloriam, tum ea, quae semel animo imbibisset,¹² neglectis suis commodis posthabitisque rebus futtilibus¹³ assidue impigreque persequendo atque ad id unum, quod sibi proposuisset laboribus maximis sine querella perpessis obstinatissime¹⁴ contendendo aeternum iuvenibus incorruptis ad imitandum reliquit exemplar.

Carolus Ács.

¹² föltesz magában ¹³ hiábavaló, haszontalan
¹⁴ makacs, állhatatos.

De Protagora.¹

Protagoras sophista fuit longe multiscius.² Is quondam cum suo sibi discipulo Euathlo mercedem³ nimis uberem⁴ condicione temeraria⁵ pepigisse³ fertur, ut sibi tum demum id argenti daret, si primo tirocinio⁶ agendi⁶ penes iudices vicisset.⁶ Igitur Euathlus, postquam cuncta illa exorabula⁷ iudicantium, et decipula⁸ adversantium, et artificia⁹ dicentium, versutus¹⁰ alioquin¹¹ et ingeniatus ad astutiam facile perdidicit, contentus scire, quod concupierat, coepit nolle, quod pepigerat,¹² sed callide nectundis¹³ moris¹³ frustrari¹⁴ magistrum, diutuleque¹⁵ nec disserere velle, nec reddere, usque dum Protagoras eum ad iudices provocavit, expositaque condicione, qua docendum receperat, anceps¹⁶ argumentum ambifariam proposuit. Nam, Sive ego viceró, inquit, solvere mercedem debebis, ut condemnatus, seu tu viceris, nihilominus reddere debebis, ut pactus, quippe qui hanc primam causam penes iudices viceris. Ita, si vincis, in condicionem incidisti, si vinceris, in damnationem.

Ratio conclusa¹⁷ iudicibus acriter et invincibiliter videbatur. Enimvero Euathlus, utpote tanti veteratoris¹⁸ perfectissimus discipulus, biceps illud argumentum retorsit. Nam, Si ita est, inquit, neutro modo, quod petis, debeo. Aut enim vinco, et iudicio dimittor, aut vincor, et pacto absolvor, ex quo non debeo mercedem, si hanc primam causam fuero penes iudices victus. Ita me omni

modo liberat, si vincor, condicio, si vinco, sententia.¹⁹

(Apuleius.)

¹ Sokrates kortársa Abderából, görög filozófus. Attikából száműzték, mert atheizmussal vádolták ² nagytudású ³ tandíjban állapodott meg ⁴ tekintélyes összegű ⁵ elhamarkodott, meg nem gondolt szerződés, megegyezés alapján ⁶ első perét a bíróság előtt megnyeri ⁷ a bírák megkérlelésére, meggyőzésére szolgáló fogások ⁸ az ellenfél megtévesztésére, törbe ejtésére szolgáló fogások ⁹ szónoki műfogások, ügyeskedések ¹⁰ ügyes, fortélyos ¹¹ egyébként is ¹² nem akart tudni a megállapodásról, kötelezettségéről ¹³ ügyeshalogatással ¹⁴ ámitgatta ¹⁵ huzamosabb időn át ¹⁶ kétértelmű ¹⁷ végső következtetés ¹⁸ ravasz róka ¹⁹ bírói ítélet.

Domus aurea.

(7.)

Ad fabulam *Felicis Nabor* Latine scripsit *Valentinus Fehér*.

VIII. Apparatus ludorum.

Pelias dicis causa¹ breviter auditus et ad bestias damnatus est. Lata sententia in carcerem subterraneum madidumque ductus est. Erat pro mensa sedeque ingens truncus lapidis,² ad quem Pelias catenis astrictus est.³ Urceus⁴ aquae frustumque⁵ panis erat alimentum. Cum ianua clausa esset, captivus in durum lapidem corruit.

— Hic est igitur finis artis meae? Non est in caelo Deus, qui vindicet⁶ iniuriam salutemque ferat innocenti?


Maximum dolorem attulit ei memoria Fulviae. Horrendum ei videbatur mori in flore aetatis, procul a patria, tam aspero modo eoque tempore, cum putaret se beatissima vita fruiturum.

Proculus vicerat. Ut id, quod spectabat, assequeretur, nihil nimium putabat.⁷ In oppido promulgavit⁸ se in amphitheatro ludos octo dierum instaurare:⁹ postremo Christianum cum urso pugnaturum esse.

Vulgus maxima animi concitatione oblectationes exspectabat; qui Proculo occurrerant, laeti eum salutabant celebrabantque.

Multos dies fiebant apparatus. Praefectus tanto studio operam navabat,¹⁰ tamquam si de pulcherrima optimaque re ageretur. Claudia adeo totum se in instituendis perficien-

¹ formáságból ² kötőmb ³ odaláncol ⁴ korsó
⁵ darab ⁶ megtorol ⁷ sokall ⁸ kihirdet ⁹ rendez
¹⁰ buzgón dolgozik.



disque rationibus¹¹ collocabat, ut omnium aliarum rerum oblita esse videretur.

Interea Rufus magno opere matrimonium cum Claudia iungere parabat. Quod repugnantia Fulviae fracta videbatur vel saltem aegrotans rem non curabat, hac idonea occasione Fulvius ad apparatus matrimonii faciendos usus est. Eius modi nuptias celebrare cogitabat, quas nemo Pompeianus ante viderit. Cum domus aurea plurimos, quos invitaturus erat, convivas recipere non posset, hortos, qui domui circumiacebant, restituendos curavit. Gravibus plaustris¹² tantum vini apportatum est, ut cellae vinariae¹³ utres¹⁴ aegre capere possent.

Dum laeti clamores in viis audiuntur omnesque se ad ludos parant, duo homines miseri, Pelias et Fulvia prope tristitia dolore emoriebantur.

Ex quo Fulvia de Pelia capto certior facta erat, omni amissa vivendi cupiditate¹⁵ in tacito maerore vivebat. Multos dies morti vicina¹⁶ fuerat, sed firma iuvenisque corporis constitutio medicamentis Teucris adminiculata¹⁷ tandem superavit; verumtamen morbo fugato infirmitas diu sentiebatur.

Vespere ante diem festum Fulvia in lecto sedens de Pelia cogitabat, qui in caeco carcere, quasi homicida, catenatus¹⁸ et ad terribilem mortem destinatus maereret.

— O si vel semel — inquit — eum prius videam, quam ad mortem ducitur! Tam libens eum consoler, velim dicere illum a me amari meque etiam post mortem in aeternum mansuram esse fidam.

Teucer, qui venerat eam consolaturus, respondit:

— Fieri potest, ut custos te ad eum admittat. Sed timeo, ne tuus animus visu eius incitetur idque infirmae tuae valetudini noxae sit.

— Ne timueris, Teucer — ait Fulvia; — fortem me praebeto. Eat fortiter et cum gaudio obviam morti, tamquam verus miles Christi.

— Iam rem experiar. Prius tamen aliquid ex te quaerere volo. Quis venenum infudit vino? Servae hoc non fecerunt, propterea quod ab eis te fideliter amari dicis. Paulo ante, quam in morbum implicita es,¹⁹ Clau-

dia hic in villa adfuit. Fuitne etiam in tuo cubiculo? Estne tecum locuta? Animadvertistine illam poculum contrectare?²⁰ Recordare, mea filia. Namque si Claudiam conatus homicidii coarguere²¹ potuerimus, pater tuus certe illam non ducet uxorem — et per Claudiam praefectum fortasse movere poterimus, ut Peliam liberum dimittat.

— Multa iam hoc mecum versavi, — respondet Fulvia renuens — nihil tamen reminiscor. Illa hora infelix plane mente mea excidisse videtur.

— Itaque frustra Claudiam accusaremus. Dolendum est, quod malitia de virtute triumphat.

— Putasne — ait Fulvia — eam studio ulciscendi gavisuram? Nonne mala animi conscientia²² semper accusabitur sollicitabiturque? Noli eam turbare. Nam qui tantum odium et malam in animo habet voluntatem, beatus esse non potest, licet in domo aurea habitet. Quantum me miseret mei patris, qui ab hac muliere captus sit! Tale matrimonium non in amore, sed in scelere positum est.

IX. In harena.

Primus dies ludorum diluxerat. Iam horis matutinis magna turba hominum sollempni vestitu indutorum in viis trepidabat.²³ Omnes in ingens amphitheatrum contendebant.

Amphitheatrum Pompeianum ad modum amphitheatri Flavii aedificatum milia hominum circiter viginti capere poterat. Homines profuse²⁴ ad sedes tendunt, clamor permixtus²⁵ in ingenti loco auditur, dum tuba adventum gladiatorum significat.

Triginta gladiatores tubis clangentibus²⁶ in harenam ingressi ante praefectum demissis armis clamant: «Morituri te salutant».

Duos dies a mane usque ad vesperum gladiatores certarunt. Tertio die pugna taurorum, quarto servorum secuta est.

Interim Teucer et Urbanus sacerdos et Fulvia, quae ante mortem Peliae nubere cupiebat, nocte ad carcerem se conferunt. Duo

¹¹ terv ¹² társzekér ¹³ borospince ¹⁴ tömlő ¹⁵ életkedv ¹⁶ a halál torkában ¹⁷ támogat ¹⁸ leláncol ¹⁹ esik ²⁰ babról ²¹ rábizonyít ²² lelkiismeret. ²³ sü-rög-forog ²⁴ rendetlenül ²⁵ zürzavaros ²⁶ harsog.

custodes ab amico Teuceri pecunia corrupti²⁷ ad vinum potandum discesserant, unus remanserat Faustus, vir Christianus, qui Teucrum, Urbanum Fulviamque intromisit in carcerem.

Pelias in lapide sedebat. Quotiescunque se moverat, catenae concrepabant. Quo audito Fulvia voce flebili exclamat:

— Pelia, ocule mi,²⁸ adsum!

Captivus subsilit; lumine caecatus Fulviam, quam non cognoverat, angelum ad se de caelo descendisse putavit.

— Salve — inquit flexis genibus, — nuntie Dei.

Fulvia rursus eum nomine compellat:²⁹

— Ego sum Fulvia; non me, Pelia novisti?

Ubi Pelias eam cognovit, laetus exclamat:

— Tune, Fulvia, ad me venis, tu splendida, tu casta?

— Ultimum te — ait Fulvia eum osculans — videre volui ante mortem.

Cum Pelias certior factus esset, cur Fulvia ad se venisset, manum eius osculatus clamavit:

— O utinam tibi pro hac re gratias agere possim!

Tum Urbanus aggressus breviter eis magnum matrimonii mysterium explicavit eosque monuit de gravitate³⁰ rei, quam facturi essent.

Pelias et Fulvia ad genua sacerdotis procumbunt. Urbanus manibus eorum iunctis sollemniter precatus eos interrogavit, velletne secundum Christum inter se amare et fideles manere semper, in vita et morte.

Illi laeti affirmant. Tum sacerdos in nomine Sanctae Trinitatis³¹ matrimonio benedixit.

— Sed nunc — ait Fulvia — iubeo te, Pelia, valere. Quidquid venerit, nihil nos, ne mors quidem, inter nos separare poterit.

Et brachia collo viri iniecit. Diu in mutuo complexu haeserunt.

— Vale — ait tandem Pelias.

*

Quarto ludorum die post servos Pelias, quem ordo vocaverat, erecto incessu³² superbus harenam intravit. Dextra sicam brevem, quam Faustus clam exacuerat, sinistra

involutam rubro linteo crucem ligneam, quam Teucer ei dederat, tenebat.

Oculis per foros³³ circumlatis Teucrum ad exitum conspexit. Teucer manu, Pelias cruce levata inter se salutaverunt.

Repente tuba sonante clamor inconditus³⁴ finem cepit. In pariete amphitheatri ianua ferrea patefacta ingens ursus lente procedens levavit caput et raucum murmur³⁵ e faucibus misit. Dein homines suspexit et diducto rictu³⁶ oscitavit.³⁷

Spectatores cachinnum tollunt.³⁸ Quo concitatus ursus prioribus pedibus erectis³⁹ nasum protendit et spiritum resorbens humanam carnem odorari⁴⁰ videtur.

Tum animadvertit Peliam, qui ei obviam iens rubrum linteum vibrabat. Tardis passibus iuveneni petebat; dentes fulgebant, oculi ardebant... certamen inter hominem bestiamque coeptum est. Ursus pedibus prioribus extensis unum gradum se recipit et unguis in Peliam incutit. Sanguine statim scaturiente⁴¹ vestis eius aspergitur.

Turba hominum plaudere coepit.

Ut primum bestia sanguinem conspicata est, oculis ardentibus vehementius impetum facere coepit. De vita dimicatum est.

Repente murmur, quasi strepitus mille curruum, auditur, solum⁴² se tollere et residere, fori, columnae, arcus parietesque fluctuare⁴³ videntur, dein horrendus fragor veluti montis vel terrae dehiscentis⁴⁴ auditur.

Spectatores labris albetibus, vultibus pallidis subsiliunt. Dein silentium sequitur. Terra quieta erat, parietes firmi stabant. Recedente⁴⁵ timore omnes riserunt, nemo prodere voluit se ante tremuisse.

Ursus incitatus in Peliam incurrit, pedibus eum amplectendo necaturus. Sed Pelias sollerter evitans a latere ad eum accedere sicamque in collum infligere conatur.

Tum ursus unguibus in pallium impressis⁴⁶ Peliam ad se rapuit et pedes immanes in umeris eius imposuit. Tam terribilis erat

²⁷ megvesztegt ²⁸ kedvesem ²⁹ megszólít ³⁰ fontos-
ság ³¹ Szentháromság ³² egyenes tartással ³³ ülő-
helyek ³⁴ zavaros ³⁵ morgás ³⁶ száját kitévta ³⁷ ásít
³⁸ felröhög ³⁹ felágaskodik ⁴⁰ szagol ⁴¹ előbugyog
⁴² talaj ⁴³ hullámzik ⁴⁴ meghasad ⁴⁵ elmúlik ⁴⁶ mé-
lyeszt.

complexus, ut spiritus Peliae intercluderetur. Oculi iuvenis caligabant.⁴⁷ Tamen maxima virium contentione sinistram expedit⁴⁸ et paulum resupinus⁴⁹ lineam crucem in fauces ursi impegit.⁵⁰ Cum extremae partes⁵¹ acutae crucis maxillas ursi superiores inferioresque transfixissent, sanguis ater per linguam emanavit.⁵² Ursus os claudere voluit, sed cum durum lignum resisteret, quo magis ursus id frangere vel amovere nitebatur, eo altius lignum in carnem defigebatur maioremque dolorem afferebat.

Firmi pedes languescere coeperunt; ursus pedes circumferens horrendum singultum rugitumque ex anhelanti⁵³ pectore misit.

Pelias trahit suspirium⁵⁴ et tergum ursi circumgressus sicam in collum infligit.

Rubro sanguine in harenam effluente immanis bestia singultans collabitur. Pelias sanguine conspersus dextro pede in bestia posito stabat. Spectatores gaudio elati clamant:

— Detur venia⁵⁵ Peliae!

Proculus obscuro vultu, ex quo Pelias odium intellegebat, populo pronuntiavit Peliam nocte quieturum et postero die cum nigro leopardo pugnaturum esse; si vicisset, liberum fore.

Tum Pelias in carcerem reductus et vulnera eius illigata sunt. Faustus, qui eum custodiebat, vetitus non erat ei vinum dare validum.

Praefectus et multi nobiles statim relicto amphitheatro in domum auream ierunt, quo a Rufo invitati erant. Rufus et Claudia gaudio renidebant.⁵⁶

Dum convivae in aurea domo comissantur, Fulvia sola in villa sedens famam de morte viri sui exspectabat. Repente Maria exanimata irrupit et clamat:

— Pelias vicit ursum! Pelias vivit!

Quo audito Fulvia se poplitibus excipit⁵⁷ et Deo gratias agit. Mox advenit Teucer, qui famam a Maria allatam confirmavit.

— Sed tamen — addit — non plane mortem effugit. Cras enim iussu praefecti cum leopardo contendet.

— Ei⁵⁸ mi Deus! — clamat Fulvia pallida, — iam morietur.

— Non; ego enim eum hac nocte e car-

cere liberabo mecumque in Graeciam abducam. Et tu, Fulvia, mecum venies. Assentirne?

— Assentior. Quo vir meus ibit, ego quoque sequar.

— Tum statim me sequere ad navem. Ubi primum Pelias adfuerit, continuo proficiscemur.

Fulvia raptim se parat ad iter faciendum et cum Maria, quae heram deserere nolebat, Teucrum sequens domum reliquit. Postquam ad navem pervenerunt, Teucer in oppidum se contulit, apparatus liberandi Peliae facturus.

X. Salus.

Cum Teucer Rufum, qui tam durus in filiam fuisset, opinata⁵⁹ felicitate impune frui nollet, officium suum esse putabat Rufum edocere, quale ingenium⁶⁰ Claudia haberet. Quare ad scribam publicam se contulit, a quo tabulam ceratam stilumque petivit. In tabula haec scripsit:

«Teucer Graecus Rufo mercatori.

Morbus filiae tuae ex veneno ortus est. Vin scire, quis venenum vino miscuerit? Interroga veneficam Vesuviam, quae hoc dicere poterit, aut interroga sponsam tuam, quae magis hoc scit. Cave, ne tale quid tibi fiat, quale Fulviae. Vale».

Teucer tabulam fune circumligatam et obsignatam dedit servo scribae, qui eam in domum auream afferret neminique alii, nisi Rufo traderet.

Tum Teucer duo pallia emit, quibus fugitivi se amicirent;⁶¹ nam Faustum quoque secum ducere cogitabat. Praeterea duo arma sumpsit, quibus, si necessitas postulasset, se defenderent. Cum ad haec satis longo tempore opus esset, iam meridies praeterierat, cum amphitheatrum petivit.

Repente candens⁶² a terra flavit ventus, quo spiritus eius interclusus est. Simul horrendum ab amphitheatro rugitum audivit. Teucer caelum suspiciens timore perterritus constitit: inter septentriones et

⁴⁷ elhomályosul ⁴⁸ kiszabadít ⁴⁹ hátrahajolva
⁵⁰ beledöf ⁵¹ véget ⁵² kiömlök ⁵³ lihegő ⁵⁴ mély lélekzetet vesz ⁵⁵ kegyelem ⁵⁶ ragyog ⁵⁷ térdre ereszkedik ⁵⁸ jaj ⁵⁹ vélt ⁶⁰ jellem ⁶¹ felölt ⁶² izzó.

occasum solis nubes ingens in aërem se tollebat, quae terribili celeritate crescere videbatur. Tum tres simul igneae columnae assurgebant, dein gravi fragore sequente flammae igneique lapides velocissime currerunt. Simul cinere pluit, qui, tamquam niger fervidusque pulvis, vias aedesque obruebat.

Teucer cum causam huius rei mirabilis intellexisset, maxima voce clamavit:

— Ignis e Vesuvio erupit!

Et incerto gradu currebat ad carcerem. Tam invalidus terrae motus secutus est, ut solum aedesque labefactarentur. Caelo nubibus fumeis caliginosisque tecto sol obscuratus, aër candefactus vaporibusque repletus erat.

Teucer anhelans et suspiriosus⁶⁸ ad carcerem pervenit.

— Aperi, Fauste! — clamat pugnibus⁶⁴ ianua pulsans. — Mox totus mundus interibit.

Post diuturnam pulsationem ianua aperitur.

— Quis vult huc intrare? — quaerit custos tetrico⁶⁵ vultu.

— Mundus perit! — clamat Teucer. — Non vides, quid fiat?

Custos horrens caelum suspicit. Nubes atra lente in terram delapsa supra oppidum extendebatur. Corusca⁶⁶ fulgura micabant. Terra iterum labare⁶⁷ coepit; parietes carceris perhorruerunt.⁶⁸

— Iuvate, di! — clamat custos avolans.

Teucer in carcerem ingressus nomen Fausti clamat.

— Quid fit foris?⁶⁹ — quaerit Faustus. — Subito advesperavit.

— Vesuvius ardet — respondet Teucer. — Lapide et cinere pluit super oppidum. Veni, dimitte captivum liberum. Fugiamus; mea navis in portu parata stat.

Faustus plorare coepit.

— Sed ego uxorem filiumque habeo. Eos deseri non oportet.

— Festina, duc eos ad navem.

Faustus tremula manu repagula⁷⁰ retrudit.

— Progredere, Pelia! — clamat Teucer. — Liber es.

— Qui⁷¹ hoc fieri potest? — inquit Pelias brachia collo Teucris iniiciens.

— Ne quaeras — respondet Teucer. — Circumiice hoc pallium, sume hunc pugionem, accende lucernam. Abeamus hinc, alioquin omnes peribimus.

Interea caelum plane obscuratum erat. Cum in viam egressi essent, terra tam vehementer mota est, ut amphitheatro labefactato summa pars magno fragore in harenam decideret.

Teucer et Pelias festinantes portum petebant; tenui lumine lucernarum vix iter illustrabatur. Post se clamores hominum perterritorum desperatasque⁷² puerorum quiritationes⁷³ audiebant.

Teucer raptim comiti narravit, quid factum esset quidque oppidum maneret.

— Et Fulvia? — quaerit Pelias. — Sine ea oppidum non relinquam.

— Quiesce — respondet Teucer. — Salva in tuto est.

Viae trepidis erant repletae hominibus et eiulantibus.⁷⁴ Servi praeda graves⁷⁵ per portam oppidi foras contententes conculcabant omnes, qui obstabant. Alii fortunae exsecrati sunt,⁷⁶ alii mori voluerunt. Supra Vesuvium continenter ignes ascendebant; lapides e lato foramine decidebant densoque cinere pluebat. Mons murmurabat, terra tremebat, mare fluctuabat.

Cum Teucer et Pelias tandem ad portum pervenissent, timore perterriti aquas spumantes⁷⁷ ferventesque recessisse viderunt. Aegerrime in lintrem inscendunt et undis iactati navem nauti ascendunt. Fulvia et Pelias gaudio flentes inter se amplectuntur.

— Liber es, Pelia — ait Fulvia voce tremebunda. — Vix adduci possum, ut credam⁷⁸ post tantos dolores laboresque vitam beatam esse secuturam.

— Equidem, carissima Fulvia — inquit Pelias — iis, quas exegi,⁷⁹ horis difficilibus cognovi, quam multas Christiana religio haberet consolationes, sine quibus me desperare oportebat. Laudetur Deus omnipotens, Iesus Christus, cui per omnem vitam fideliter servire volo.

⁶⁸ izzó ⁶⁴ ököl ⁶⁵ mogorva ⁶⁶ cikázó ⁶⁷ inog
⁶⁸ megremeg ⁶⁹ kint ⁷⁰ retesz ⁷¹ hogyan ⁷² kétségbe-
esett ⁷³ kiáltozás ⁷⁴ jajgat ⁷⁵ zsákmánnyal terhelt
⁷⁶ átkoz ⁷⁷ tajtékozó ⁷⁸ alig tudom elhinni ⁷⁹ átél.

Nexis⁸⁰ bracchiis in constrato⁸¹ navis stantes miserum oppidum aspiciabant. Lumine passim tenebras illustrante videbant tecta corruentia, labantes aedes, homines lamentantes, qui maxima celeritate in campos liberos vel locos editores fugiebant.

Tum Fulvia suam villam conspicata manibus extensis clamat:

— Ibi est mea domus. Adhuc integra esse videtur. Quis scit, quam diu infrenato⁸² furori elementorum resistere possit?

Cum iam fluvius et mare cinere obruta essent, iussu Teucris navis remis moveri coepit.

Tum ad micantis fulguris lumen domus aurea in conspectum cecidit.⁸³

— Heu patrem miserum! — gemit Fulvia.

Repente domum labare, columnas ingenti fragore rimas agere,⁸⁴ parietes corruere tectumque delapsum omnia obruere atque sepe- lere viderunt.

Fulvia vultu manibus tecto flevit.

— Ne fleveris — ait Pelias, — neve domum magnificam dolueris. Solide licet steterit clareque splenderit, uno temporis ictu⁸⁵ concidit. Sed est in nostris animis alia domus aurea, quae nulla tempestate, nullo Vesuvio perdi possit. Communiter eam super columnas aureas religionis, fidei veritatisque aedificemus.

— Eveniat ergo meus de domo aurea somnus — respondet Fulvia renidens.

Et oculis fulgentibus ad novam patriam proficiscebantur.

(Finis.)

⁸⁰ összefont ⁸¹ fedélzet ⁸² féktelen ⁸³ elötünik
⁸⁴ meghasad ⁸⁵ egy pillanat alatt.



Iocosa.

Homo quidam duos equos furatus erat. — Verone¹ tu duos istos equos furatus es? — quaerit iudex.

Homo respondet:

— Res ita fuit, ut ex mercatu duo fero- ces equi mecum aufugerint.

*

Duo Iudaei facto naufragio in unam tabulam² enixi³ caliginosa nocte manibus pe-

dibusque remigant, quo prius in terram evadant.

Alter maximo timore perterritus sic pre- catur:

— Nunc modo, mi Deus, adiuva me! Nunquam amplius pecunias fenerabor,⁴ neminem unquam fallam... iuro.

Alter his verbis auditis respondet:

— Ne multum promittas, litus video.

*

Socrus⁵ aegrota iacebat. Postquam medicus diligenter eam inspexit, adit generum eius.

— Carissima tua socrus — inquit — certe⁶ consanescet.⁷

— Hei tu, medice, paulo clementius⁸ de hac re certiore me facere debuisti.

*

— Cui muneri studes?⁹ — quaerit iudex ex cingaro.

— Sum cultor luti.¹⁰

— Scisne legere?

— Scio.

Iudex apponit librum.

— Lege hunc.

— Non possum — excusat cingarus.

— Quidnam ergo legere scis?

— Pecuniam.

*

Deus cum omnia genera rerum creavisset, sensit se oblitum esse hominem creare Armenium.¹¹ Tum simium,¹² qui dicitur oráng- utáng, ita compellavit:

— Si vis, transformabo te in Armenium. Simius paulisper in cogitatione defixus respondet:

— Si res ita est, malo me simium manere.

*

Rusticus moriebatur. Sui quaesierunt ex eo, quid ultimum cuperet. Ille respondit, ut duo causicidi¹³ adducerentur.

Causidici apparent. Alter ad partem lecti dextram, alter ad sinistram stat. Demiran- tur,¹⁴ cur ipsi arcessiti sint.

Rusticus aegerrime haec verba facit:

— Sic volo mori, quem ad modum Iesus Christus, inter duos latrones.

V. F.

¹ igaz-e? ² deszka ³ fölkapaszzkodik ⁴ uzsorás-
kodik ⁵ anyós ⁶ okvetlenül ⁷ meggyógyul ⁸ kimé-
letesebben ⁹ mi a foglalkozásod? ¹⁰ sár ¹¹ örmény
¹² majom ¹³ ügyvéd ¹⁴ kíváncsi.

Solutiones aenigmatum numeri VII—VIII.

I. Notum superis et inferis. — II. Sunt superis sua iura. — III. Dido, Moneta, Etruria, Nessus, Vicetia, Susa, tus, Berenice. Nemo est casu bonus, discenda virtus est. (Sen. Ep. 123, 16.)

IV. Nonae, vitis, Venusia, reticulum, Bovillae, Numitor, esca, Tegea, sedatio, benignus, Nemesis, vivax, vespa, regina. Non vivere bonum est, sed bene vivere. (Sen. Ep. 70, 3.)

Aenigmata recte dissolverunt: Georgius Donáth, Magdalena Fajcsék, Ludovicus Pogonyi, Marianna Renner, Paula Szilassy. — Praemium Paulae Szilassy sorte obvenit.

A E N I G M A T A .

I.

Series directae: 1. princeps planetarum, qui exortu suo diem efficit; 4. nomen portae Athenarum, quae in Academiam ferebat; 10. omne metallum, quod rude effoditur; 13. idem, quod Arabicus; 14. nomen puellae Lydiae, quae in araneam est commutata; 15. praenomen civis Romani, aut Tusci, ut: Lar Herminius consul; 16. extrema cuiusque rei pars; 17. adv., in quo loco; 18. idem est, quod *at*; 19. calceamenta alata, qualia Mercurio tribuuntur; 20. «sursum...»; 22. fluvius Norici, qui in Danubium influit; 25. . . ato: una ex Musis; 26. incolae Corsicae; 29. meus, in vocativo masculino; 30. nomen numerale cardinale; 31. nomen Nymphae, quae Bacchum in Nysa monte educavit; 33. adv.: similiter, eodem modo; 35. crevit, perspexit; 35. «... tulit punctum, qui miscuit utile dulci»; 36. adv.: bene, recte; 37. animal palustre, in aqua et in terra vitam agens; 38. sed, verum, coniunctio adversativa; 40. saporem habens dulci contrarium; 46. maximus Italiae fluvius; 47. insula maris Aegaei, ubi Latona ab Jove in coturnicem mutata est; 50. comedo, vescor; 52. adv.: sicut, velut; 53. imperativum verbi: *eo*; 54. altare, altarium; 56. quaestum, seu lucrum labore capit; 57. aperio, retego (in pers. 2.); 58. pretio aliquid mihi comparo; 59. effluere, exire; 60. idem, quod *edit*.

Series libratae: 1. mixtum quiddam ex aqua marina et terra; 2. qui dicendi peritus est; 3. praenomen civis Romani, aut Tusci; 4. vas, seu dolium fictile duas ansas habens; 5. mons Galliae, hodie Mont St. Claude; 6. instrumentum aliquod musicum pulso, fidibus cano; 7. arbor perpetuo virens, quae in magno honore apud Romanos fuit; 8. «urbi et...»; 9. Nymphea fontis, vel fluminis; 10. interiectio, idem fere, quod *ah!*; 12. pro: *sed*; 20. frequentativum a *caenat*; 21. somnum capere; 23. pars Italiae maritima, paulatim tota ipsa Italia; 24. Bacchi nutricius et paedagogus; 26. locus cavus et vacuus; 27. inculta, impolita, inlaborata; 28. praepositio. Contractum est ex *intera* sc. parte; 30. tribus vicibus; 32. carum habeo (in imperativo); 39. adv.: post longam moram, denique; 41. appellatio est Latina Inūs, filiae Cadmi; 42. rigens, frigoris rigore correpta; 43. aedificium in magnam altitudinem protensum; 45. noctis tempore; 46. qui oculos habet leviter obliquatos (in vocativo masc.); 48. quae causam dicit (in acc. sing.); 49. actus eundi, profectio, via; 50. imperativum verbi: *emo*; 51. dico, loquor; 54. imperativum verbi: *ago*, quod adverbii modo usurpatur; 55. idem omnino, quod *at*.

1	2	3	☀	4	5	6	7	8	9	☀	10	11	12
13							☀	14					
15			☀	16			☀	17		☀	18		
☀	☀	☀	19							☀	☀		☀
20		21		☀		☀		☀	22	23			24
25	☀	☀	26		27		28	☀		☀	29		
	☀	30			☀		☀	31			32	☀	
33			☀	34				☀	35				
	☀	36			☀		☀	37				☀	
38	39	☀	☀	40	41		42		☀		☀	43	
44			45	☀		☀		☀	46				
☀	☀	☀	47	48				49	☀	☀		☀	
50		51	☀	52			☀	53			☀	54	55
56							☀	57					
58			☀	59							☀	60	

II.

- 1, 10, 11, 4, 8, 2, 13 = rex Albanus, Procaeus filius, frater Amulii.
 6, 14, 24, 25, 6, 7, 16, 3 = mons Campaniae prope Neapolim.
 12, 17, 14, 2, 22, 9, 28 = filius Cydippes, sacerdotis Junonis Argivae.
 20, 5, 15, 18 = globus aquae in unum collectus.
 21, 23, 26, 27, 3 = pars arboris, quae e trunco exit.
 19, 13, 9, 22, 16, 1, 18, 17 = locus excelsus, in quo residebat, qui ius civibus aut peregrinis reddebat.

1—28 = sententia Ovidii.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.
 Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
 ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)